

OFFICIA PROPRIA
DIOCESEOS
OSNABRUGENSIS

PARS VERRA

In Festis novem Lectionum a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis occurrentibus dicitur IX Lectio de Homilia Feriarum currentis, et de ea fit Commemoratio in Laudibus et Vesperis, ante Commemorationem Festi Simplicis forte occurrentis.

Die 13 Februarii

*S. GOSBERTI

Episcopi

Osnabrugensis et Martyris

Duplex

IN I VESPERIS

V. Glória et honore coro-
nasti eum, Dómine. R. Et
constitústi eum super ópera
mánum tuárum.

Ad Magnif. Ant. Iste Sanctus * pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbi-
mis impiórum non tímuit; fundáitus enim erat supra firmam petram.

Oratio

Infirmitatem nostram réspi-
ce, omnípotens Deus: et,
quia pondus própriae ac-
tions gravat, beáti Gosberti
Mártiris tui atque Pontificis
intercéssio gloriósa nos pró-
tegat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præceden-
tis (Ss. septem Fundatorum Or-
dinis Servorum B. M. V., Confes-
sorum):

I Propr. Osnabrug. P. Verna

Ant. Nomen eórum péma-
net in æternum, pémanens
ad filios eórum, sanctórum vi-
rórum glória.

V. Hi viri misericórdiae
sunt, quorum pietátes non
defuerunt. R. Semen eórum
et glória eórum non derelin-
quétur.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui,
ad recoléndam memóriam
dolórum sanctissimæ Gen-
nitricis tuae, per septem beá-
tos Patres nova Servórum
eius família Ecclésiam tuam
fœcundásti: concéde propiti-
us; ita nos eórum consociári
fléribus, ut perfruámur et
gáudiis. (Qui vivis et regnas.)

Deinde Commemoratio Feriæ.
In I Nocturno Lectiones A Mi-
léto, ut in Communi unius Mar-
tyris.

In II Nocturno

Lectio iv

Beatus Gosbertus ecclésiæ
Osnabrugensis quartus
episcopus fuit. Qui, cum sanc-
tus Ansgarius, præstantissi-

mus Suecōrum aliorūmque populōrum Apóstolus, Evangelium prædicaret, ejus discipulus et insignis collaborátor erat in converténdis pagānis. Vir pius ac doctus necon sanguinem suum pro fide Christi profundere anhēlans, postquam e gente Suecōrum, ubi ordinatus erat, cum persecutiōne ejēctus est, episcopatum Osnabrugēensem sanctitāte magis quam bonōrum temporaliūm sollicitudine pastor bonus administrávit. Multis tandem in episcopaliūm múnere labóribus perfūctus, bonis opēribus plenus, aérūmnis toleratis Martýribus similiis, vitam beatam in terris actam beatiōre morte coronávit, anno salutis reparatæ octingentésimo septuagésimo quarto.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatēm æternam. V. De-scenditq[ue] cum illo in fóveam, et in vinculis non dereliquit eum. Et.

De Expositiōne sancti Ambrosii Episcopi in Psalmum centésimum dēcimumoctavum

Lectio v Sermo 21

Príncipes persecuti sunt me gratis: et a verbis tuis trepidavit cor meum. Bene hoc Martyr dicit, quod injúste persecutiōnum torménta sustineat: qui nihil rapuerit,

nullum violēntus opprésserit, nullius sanguinem fúderit, nullius torum putáverit esse violandum; qui nihil légibus débeat, et graviōra latrōnum sustinēre cogátur supplicia; qui loquáatur juste, et non audiatur; qui loquáatur plena salutis, et impugnétur, ut possit dicere: Cum loquébar illis, impugnábant me gratis. Gratias igitur persecutiōnem pátitur, qui impugnátr sine crímne; impugnátr ut nōxius, cum sit in tali confessiōne laudabilis; impugnátr quasi venéficus, qui in nōmine Dómini gloriátr, cum pietas virtutum omnium fundamētum sit.

R. Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei, Dómine, * Et voluntate labiōrum ejus non fraudasti eum. V. Quóniam prævenisti eum in benedictiōnibus dulcédinis: posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. Et.

Lectio vi

Vere frustra impugnátr, qui apud ímpios et infídos impietatis arcéssitur, cum fidei sit magíster. Verum qui gratis impugnátr, fortis debet esse et constans. Quómodo ergo subtéxit: Et a verbis tuis trepidavit cor meum? Trepidare infirmitatis est, timóris atque formidi-nis. Sed est étiam infírmitas ad salutem, est étiam timor sanctórum. Timéte Dómi-

num, omnes sancti ejus: et, Beátus vir, qui timet Dóminum. Qua ratione beátus? Quia in mandatis ejus cupit nimis.

R. Stola jucunditatis induit eum Dóminus: * Et corónam pulchritudinis pósuit super caput ejus. V. Cibávit illum Dóminus pane vita et intellectus: et aqua sapiéntiae salutáris potávit illum. Et. Glória Patri. Et.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Si quis venit ad me, de eodem Communi 1 loco; et dicitur R. VIII Dómine, prævenisti eum.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

V. Justus ut palma florébit.
R. Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Ad Bened. Ant. Qui odit * ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

Oratio

Infirmitatē nostram réspite, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti Gosberti Martyris tui atque Pontificis intercéssio gloriósa nos protéget. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ. Vespera a Capitulo de sequenti (S. Adolphi Episcopo et Confessore), Commemoratio præcedentis, Feriæ ac S. Valentini Presbyteri et Martyris.

1*

Die 14 Februarii

* S. ADOLPHI

Ep. Osnabrugensis et Conf. Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. R. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntífex, * et virtútum ópifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dóminum.

Oratio

Ezáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Adolphi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab omnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis (S. Gosberti Episcopi et Martyris):

Ant. Qui vult venire post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

V. Justus ut palma florébit.
R. Sicut cedrus Líbani multiplicabitur.

Oratio Infirmitatē, ut supra.

Deinde post Commemorationem Feriæ Commemoratio S. Valentini Presbyteri et Martyris:

Ant. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiorum

non tímuit; fundátus enim erat supra firmam petram.

V. Glória et honore corónasti eum, Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio

Prästa, quásimus, omnípotens Deus: ut, qui béati Valentini Mártiris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminus nostrum.

In I Nocturno Lectiones Fidélis sermo, ut in Communi Confessoris Pontificis.

In II Nocturno

Lectio iv

Adolphus, Simónis cómitis Teklenburgénsis filius, a prima ætate pietati addictus, clericális státui adscribi voluit. Cum autem ad célebre monastérium ordinis Cisterciénsis, Campum beatæ Mariæ Vírginis vétérem dictum prope Rhenum quondam venisset, et post Missam in oratório staret, vidit mónachos ad singula accédentes altária humilitérque confitentes pecáta nudáre dorsi ad suscipiéndas disciplinas. Quod spectáculum tantum boni in corde adolescentis operátum est, ut discédere ex monastério noluerit, sed sáculi pompam contémnens et totum se ad Deum convértens ibidem mánserit, religionisque sacrum hábitum suscépe-

rit. Mónachus factus, in piis obséquiis et divinárum rerum contemplatióne vivébat, ac tantum mox profécit, ut non multo témpore post tum propter nobilitátem tum propter sanctimóniam ad regéndam ecclésiam Osnabrugénsim evocátus et epíscopus consecrátus sit.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Venerabilis præsul, Sedis Osnabrugénsis duodetrigésimus, tam divinis quam sacerdátribus áctibus cláruit, doctrina, fervore, prudéntia exornátus pedum gestávit, multa bona et salutária in ecclésia et diocési Osnabrugénsi perfécit. Fundatióne ad festum sancte Catharínæ in Cathedráli templo solémniter celebrándum approbávit, ejusdem templi thesauráriam valde auxit, cantóriam instituit, altáre sanctórum Crispíni et Crispiniáni consecravit. Collegiatúrum ecclésiarum canónicos omnes ab exuxiárum solutióne liberos declarávit, forénsem ecclésiam beatæ Mariæ Vírgini sacram eum banno totius civitatis Osnabrugénsis capitulo suo libera donatione incorpórávit, archidiaconórum, quos

in partem pastorális sollicitudiní vocáverat, potestátem dilatávit. Decessoris sui donationem, qua monastério in Hérzebrock jus archidiaconále collátum erat, ratam hábuit et confirmávit, monastériis Malgardiénsi, Iburgénsi, sanctæ Gertrúdis in monte prope Osnabrugum amicus et beneficu, cœnobiorum jura acérnus semper vindex strénue defendébat.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi élatum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

In omnes ecclésias, præséritim vero in capitulum et ministros ecclésiae beatus Adolphus erat munificus, páuperes leprosóque fovébat, miserábiles non dedignabatur visitáre. Et postquam ecclésia Osnabrugénsi octo ferme annos préfuit, anno millésimo ducentésimo vigésimo quarto, prídie Kaléndas Júlii, natúrae débitum persolvit, multosque meritórum manípulos in cælum intulit, mira sanctitatis opinióne in terris relicta. In ecclésia Cathedráli cónditus, etiam posteris tempóribus in præcipuo semper honore a Christifidélibus hábitus est, fuitque sepulcrum ejus gloriósum. Anno autem Christi millésimo sexto.

centésimo quinquagésimo primo Franciscus Wilhélmus, epíscopus Osnabrugénsis, pietáte in beatum prædecessorem motus, ipsius sepulcrum quarto Nonas Decembri præsente Cathedrális templi capitulo multisque fidélibus aperíri et sacra ossa invénta elevári atque in theca débito cum honore repóni jussit.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operáitus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercédat pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémptis vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de eodem Communi 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serue bone * et fidélis, quia in paucis fuisti fidélis, supra multa te constitua, dicit Dóminus.

Oratio

Exaudi, quásimus, Dómine, preces nostras, quas in beati Adolphi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne méritum famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccá-tis. Per Dóminum.

Et post Commemorationem Feriæ fit Commemoratio S. Valentini:

Ant. Qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam æternam custódit eam.

V. Justus ut palma florébit.
R. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Valentini Mártyris tui natalitia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessione, liberémur. Per Dóminum nostrum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. **R.** Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Magnif. Ant. Amávit eum Dóminus, * et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum.

Oratio

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Adólphi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deférimus: et, qui tibi digne méritum famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab omnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et post Commemorationem Feriæ fit Commemoratio Ss. Faustini et Jovitæ Martyrum:

Ant. Istórum est enim regnum cælorum, qui contempserunt vitam mundi, et per-

venérunt ad præmia regni, et lavérunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Lætámini in Dómino et exsultáte, justi. **R.** Et gloriámini, omnes recti corde.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustini et Jovítæ solemnitáte lætificas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum.

Die 15 Martii
S. CLEMENTIS MARIAE
HOFBAUER

Confessoris
Duplex majus

IN I VESPERIS

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. **R.** Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui aëdificávit domum suam supra petram.

Oratio

Deus, qui beátmum Cleméntem Mariam miro fidei róbore et invictæ constántiae virtúte decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quæsumus, ita fortes in fide et caritaté fervéntes; ut præmia consequámur æterna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Beátus vir, ut in Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

In II Nocturno

Lectio iv

Clemens María Höfbauer Tassovítii in Morávia natus, a prima ætate in schola christiánæ perfectionis eruditus est; magistra potissimum religiosissima matre, quæ puérulum post patris óbitum osténsa Christi Dómini e cruce pendéntis imágine sic allocútæ fertur: En fili, qui hinc in póstérum tibi futurus est pater, cura, ut per eam, quæ ipsi placet, viam incédas. Adoléscens pístoriām artem didicit; sed ad majóra se vocári præséntiens cœpit inter laboriosa artis exercitium ad stídiū in cùmbere litterarum. Bis Romam pedes ad límina Apostolórum peregrinátus est, bis étiam rerum cælestium contemplatiōni libérius vacatūrus in erémum secéssit. Verum Deo illum ad altióra vocante intermissa litterarum stídia in Vindobonensi Universitate repetiuit, navitèrque prosecutus est; donec ex pueriore fonte sacras disciplinas hausturus, Romam tértium remigrávit. Ibi in sancti Alfónsi familiam singulári Dei providéntia cooptatus est, quam ipsius ópera in díssitas regiōnes propagátum iri sanctus idem Parens divino instíncitu præsénsit ac palam prænuntiavit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum

ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Absoluto cum magno spíritus fervore tirocinio ac presbyterfactus in septentriónales Európæ provincias a Sede Apostólica missus est. Erécto Varsáviæ in Polónia primo sue Congregatiōnis domicilio, et plúribus sibi adjunctis sóciis, incredibile est, quam copioso ibi fructu sacerdotalia munera ultra vicénnum expléverit: nihil laboris recúsans, sive ut catholicos ad bonos mores et pietatis cultum revocaret, sive ut hæréticos et Judaeos ad veram fidem adduceret. Multa étiam ad religiosam juventutis institutionem præstitit. Orphanórum sortem miseratus eréxit hospitium, ubi misérimos quoque paterna caritaté alébat; visus subinde stipem eórum causa emendiare, immo nec faciem ab incepsantibus et in se conspuéntibus avértere. Inter has autem curas semper coram Deo ámbulans, Deíparæ Virgini, cuius Rosárium assidue recitábat, singuláriter devotus, rectus, simplex, húmilis, cunctis affabilis et benignus, omnibus velut sanctitatis exemplar júgiter prælúxit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. V. Induit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. Et.

Lectio vi

Deo soli confisus, plures instituti sui domus vāriis in régionibus erexit. Ipse vero multas, ob tēmporum iniquitatem, acerbitates perp̄ssus, et e Polónia tandem cum suis exp̄lsus, secéssit Vindobónam, ubi duodecim postrēmis vita annis, ad Dei glóriam strēne operari perseverávit. Præter sédulam enim sanctimonialium Vírginum curam totus in eo fuit, ut prædicatione verbi Dei, sacraménti Poenitentiaæ administratiōne, quam plūrimas a salutē dévias áimas Christo lucrifaceret. Quem caritatis ignem, tum sacerdótibus, tum máxime sélectæ juvēnum cohorti, quorum complures suum Congregatiōni nomen dedérunt, infundere adlaborávit. Illud autem indeféssa sua ópera consecútus est, ut languescéntem pôpuli fidem catholicumque spiritum non parum illa ætate imminútum, corroboráret; dignus propterea, quem Pius séptimus vírum apostólicum, Vindobónensis cleri decus, Ecclesiæ que cólumen appelláret. Méritis tandem plenus, et prodigiórum aliorumque cælestium charísmatum múnere il-

lústris, prope septuagenárius obdormívit in Dómino, Idibus Mártilis, anno millésimo octingentésimo vigésimo. Eum Leo décimus tértius, miraculis clarum, Beatórum catálogo, Pius vero décimus novis fulgéntem signis Sanctórum fastis accénsuit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus. V. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Nolite timére, de Communi Confessoris non Pontificis 2 loco.

IX Lectio de Homilia Feriæ.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. R. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Bened. Ant. Euge, serue bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitua, intra in gáudium Dómini tui.

Oratio

Deus, qui beatum Cleméntem Mariam miro fidei róbore et invictae constántiae virtute decorásti: ejus méritis et exémplis fac nos, quâsumus, ita fortes in fide et caritatem ferventes; ut præmia consequámur æterna. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

IN II VESPERIS

V. Justum, ut supra ad Laudes 8^o.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum * et terrena, triúmphans, divitias cælo condidit ore, manu.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Die 26 Martii

S. LUDGERI

Episcopi et Confessoris

Duplex

Ant. Sacérdos et Póntífex, et virtútum ópifex, pastor bone in pôpulo, ora pro nobis Dóminum. (T. P. Alleluja.)

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Alleluja.) R. Stolam glóriæ induit eum. (T. P. Alleluja.)

Oratio

Deus, qui beatum Ludgerum, Confessórem tuum atque Pontificem, hodiéra die suscepisti atque remunérasti: concéde propitius; ut, qui ejus gaudémus méritis, provocémur exémplis, et ejus intercessiōne véniam et vitam mereámur æternam. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ.

In I Nocturno Lectiones Fidélis sermo, ut in Communi Confessoris Pontificis.

In II Nocturno

Lectio iv

Ludgerus in Frisia nobili génere natus, jam aduléscens sancto Gregorio Ultra-

jecténsi Abbáti tráditus est, Dómino enutriéndus. Hoc magist̄o prima doctrinæ et vitæ sanctiòris fundaménta jecit; quæ póstea Eboraci in Anglia sub Alcuíno ad eum perfectionis apicem perdúxit, ut mox ipse doctor exímius discípulos in virtute et sciéntia óptime erudierit. Noctu ante brevem quíetem psalmódia et oratiōni, intérdiu sacrarum litterarum lectiōni et meditationi assiduè inténtus, aptum se réddidit lucrādis Deo gentilibus instrumētum. Quare a sancto Alberico Epíscopo ad prædicándum Christi Evangélium in Frisia missus, ecclésiam Daventriæ a sancto Lebuíno extréctam et ab infidélibus Saxonibus exústam restituit. Suscépto presbyterátus órdine, ob persecutiōnem Widukíndi e Frisia Romam perréxit; inde profectus et in monastério Cassinénsi aliquádiu conversátus, sancti Benedicti régulam dídicit. In Frisiā reversus, quinque pagos Amisiæ flúmini vicinos et duas insulas, Bant tunc prope Juist sitam et Hélgoland, destrúctis fanis ab idólis ad cultum Dei veri traduxit.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Nihil proficit inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. Manus.

Lectio vi

A Cárolo Magno rege in occidentálem Saxóniam missus, Ludgérus mox in pago Sudérgæ, in loco Mimigérneford dicto, construxit sub régula canónica Christo famulántium Monastérium, quod póstmodum urbi nomen dedísse fertur; idem étiam Werthína religiosórum cœnobium cóndidit et fundávit. Flagranti zelo rúdibus Saxonum pôpulis Evangélium annuntiáans, idololatriam extírpans, ecclésias érigens, iisdémque idóneos presbýteros præficiens, religionem christiánam mirifice propagávit, quoadúsque Dómino largiénte ad perfectam pôpulum perdúxit fidem. At episcopálem diu declinávit dignitatēm, humíliter ásserens, opportére episcopum irreprensibilem esse, et cum gémitu adjúngens, hoc in se esse mínime complétum. Consensu ómnium tandem superátus et Dei voluntati se subjiciens, sacrum pontificálem suscépit órdinem, primúsque sedis Monasteriensis episcopus factus est. Illis étiam quinque pagélis, quos in Frisia de gentilitate ad agnitionem sanctæ Trinitatis perdúixerat, simili modo pontificáli præerat regimine. Rígidus in se usque ad finem vitæ, vir sanctus clam cilicio carnem dómuit; benignus in álios, réditus omnes, servatis sibi tantum ne-

cessáriis, in egéños distribuit, vere pater páuperum, contémptor sui, ómnibus ómnia factus, ut omnes fáceret salvos.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Cum Deus omnípotens perennem jam mercédem reddere Ludgéri püs stúdiis decrevisset, sanctus præsul ante óbitum aliquánto témpore corporis moléstia depréssus est. In infirmitate pósitus, sanctis tamen áctibus semper mentem occupávit, lectionem sacram audíens, Deo psallens, in supérna contemplatione non tepéscens; quovis fere die incrémentum sacrificium, ægrótus quidem córpore, infatigátus tamen ánimo celebrávit. Die autem Domínica, cum in subsequente nocte de hoc mundo esset iturus ad Dóminum, quasi a morbo recreátus, crédit sibi óibus in duabus ecclésiis pùblice prædicávit, mane scilicet Coesfeldiæ, litántane presbýtero, et circa horam tértiam Billerbécæ, ubi fervóre caritatis válidus, dévote ipse celebrávit ultima missæ solémnia. Billerbécæ quoque nocte secúta assisté-

tibus discípulis diléctam Dómino réddidit ániam, anno Domínicae Incarnatiónis octingentésimo nono, séptimo Kaléndas Aprilis. Eádem noctis hora Gerfrídus præsbyter, Ludgéri nepos et succéssor, fratresque properantes ad vi-séndum sanctum præsulem, conspexérunt ante se lumen magnum quasi ignem in sublímè concéndere et cunctas tetrae noctis effugáre ténbras; ex quo indicio mox cognovérunt, venerábilem patrem tenebricoso carnis domicilio exútum veri lúminis eódem témpore assíduum spectatòrem factum esse. Sanctum Ludgéri corpus Werthínae, ut vivens jússerat, a discípulis sepultum multis magnisque miraculis a Deo clarificátum est.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operásus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercedat pro peccatis ómnium populórum. **V.** Iste est, qui contémptis vitam mundi, et pertinévit ad cælestia regna. Ipse. Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vos estis sal terræ, de Communi Doctorum 1 loco.

In Quadragesima IX Lectio de Homilia Feria.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúja.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúja.)

Ad Bened. Ant. Euge, ser-ve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus. (T. P. Allelúja.)

Oratio

Deus, qui beatum Ludgērum, Confessorem tuum atque Pontificem, hodiérna die suscepisti atque remunerásti: concéde propítius; ut, qui ejus gaudémus méritis, provocémur exémplis, et ejus intercessione véniam et vitam mereámur aëternam. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Com-memoratio Feria.

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Joanne Damasceno Confessore et Ecclesiæ Doctore), Commemoratio præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum. (T. P. Allelúja.)

V. Justum et Oratio Deus, qui, ut supra ad Laudes.

Deinde, in Quadragesima, fit Com-memoratio Feria.

Die 20 Aprilis

* S. WIHONIS
Proto-Episcopi Osnabrugensis et Confessoris

Duplex (m. t. v.)

IN I VESPERIS

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. (T. P. Allelúja.) **R.** Stolam gloriæ induit eum. (T. P. Allelúja.)

Ad Magnif. Ant. Sacérdos et Póntífex, * et virtútum ópifex, pastor bone in púpulo, ora pro nobis Dóminum. (T. P. Allelúa.)

Oratio

Exáudi, quássumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Wihónis Confessórìs tui atque Pontificis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne mérit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccáti. Per Dóminum nostrum.

In II Nocturno**Lectio iv**

Cárolus, Francórum rex, ecclésiæ, quam Osnabrigi prope Hasam flúvium fundáverat, consentiente Hadriáno Papa primum episcopum prafecit beátum Wihónem, Frísonem, ob singuláres virtutes ac vitæ sanctitatem claríssimum. Qui semper sédulus obíbat prásulis múnia, et indeféssò animárum zelo in converténdis Saxóniæ pópolis, quorum pastor erat constitutus, ópere plúrimum studiique consumébat. Crebras tandem tribulatiōnes perpéssus ac labóribus apostólicis fatigátus, postquam episcopátu Osnabrugensi multos annos functus est, christiánæ salútis anno octingéntimo quarto, plenus diérum sancteque in Dómino obdormíscens, prout Altissímo plácuit, diem clausit extrénum. Diécesis au-

tem et cívitas Osnabrugénsis beáti Wihónis, qui hisce in régionibus idolatriæ calíginem ab ánimis dispulit, Evangelii lumen accéndit, ecclésiam próspera gubernávit, a sǽculis servávit servátque ho diédum gratíssimam sanctissimámque memoriām.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúa. **V.** Nihil proficiet inimícus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. **Manus.**

Sermo sancti Máximi Episcopi

Homilia 59, quæ est 2 de S. Eusebio Vercell.

Lectio v

A beáti patris nostri Wihónis, cujus hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpssisse est: si quidem virtútum ejus grátia non sermónis exponénda est, sed opéribus comprobán da. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est filius sapiens: quantæ hujus sunt gloriæ, qui tantórum filiòrum sapiéntia, et devotione lætatur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi élētum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei, allelúa. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. **Manus.**

Lectio vi

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et gratiæ, de hoc quasi quodam fonte lucidissimo, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitatis pollébat vigóre, quia abstinentiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prædictus lenitatis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia Pontificis administratióne fulgébat, plures e discípulis reliquit sui sacerdoti successóres.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum, allelúa. **V.** Iste est, qui contémptit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Ipse. Glória Patri. Ipse.**

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. (T. P. Allelúa.) **R.** Et osténdit illi regnum Dei. (T. P. Allelúa.)

Ad Bened. Ant. Euge, ser ve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constituam, dicit Dóminus. (T. P. Allelúa.)

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Conrado Confessore), Commemoratio præcedentis et S. Anselm Ep., Conf. et Doct., ut infra.

Die 21 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM Confessoris
Duplex

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúa. **R.** Stolam gloriæ induit eum, allelúa.

Ad Magnif. Ant. Similábo eum * viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram, allelúa.

Oratio

Deus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patré voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrádo Confessóre tuo, temporália subsídia nobis tríbuas et æterna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio præcedentis:

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronávit eum. (T. P. Allelúa.)

V. Justum, ut supra.

Oratio Exáudi, ut supra
12*.

Deinde Commemoratio S. Anselm Ep., Conf. et Doct.:

Ant. O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Ansélme, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúa.

V. Elégit eum Dóminus sacerdótem sibi. **R.** Ad sacrificandum ei hóstiam laudis.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo æternæ salutis beatum Ansélmum ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctorum vita habuimus in terris, intercessorem habere meum in cælis. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno, si dicendæ sint de Communi, Lectiones Beatus vir, de Communi Conf. non Pontificis 1 loco.

In II Nocturno**Lectio iv**

Conrádus, in ruráli prædio ad oppidum Parzham in diocési Passaviensi, piis honestisque parentibus natus, inde a púero modéstia et solitudinis amore, quanta futurus esset sanctitatem, præmonstravit. Mirus jam tum in eo elucébat devotionis fervor, maxime cum in ecclésia oraret; quam longe sitam, neque itinere neque frigore deterritus, frequentare solébat. Summo erga beatam Vírginem amore inflammatus, quotidianus ejus Rosarium assidue iterabat, diebusque festis persépe ad remotiora ipsius Déiparae sanctuaria pergebat: ex quibus pedestribus peregrinatibus, júgiter orando suscep-tis, domum remeabat sub vespere fere semper jejúnus. Integra juventute in agrorūm cultura transacta, ut árctius Deo adhæreret eique libérius famularétur, mundo valedice-

re státuit; quapropter perámplio património abdicato, annum agens primum supra trigesimum inter fratres láicos ordinis Minorum Capuccinórum adnumerari obtinuit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatem æternam, alleluja. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Statum ab emissa professione, ad sanctæ Annæ convéntum civitatis Vetöttingæ missus fuit; locus autem célebris est et frequentissimus inter cétera Germánicae diciōnis Mariána sanctuaria, ádeo ut plura fidélium centena milia illuc singulis annis convéniant. Ob tantum ad eandem civitatem concúrsum, perdifficile in cœnobio evadit janitóris officium; quod Conrádus, cui hujusmodi munus statim ab ejus advéntu fuerat demandatum, ad óbitum usque retinuit, et tamquam exempli apostolatum explévit. Impiger in labore, parcus in loquendo, erga páuperes largus, in peregrinis excipiéndis juvandisque promptus, per annos quadraginta et amplius ostiarii onus æquanímiter gessit, máximo incolárum et peregrinórum emoluménto, in omnibus tum ánima tum corporis necessitatibus.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum, alleluja. **V.** Induit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Virtutibus omnibus præclarus, silentium summopere adamavit. Per diem subseciva témoris momenta insumebat in quodam tuguriolo, jānuæ propinquo, e quo sanctissimam Eucharistiam invísere et adorare pótterat; de nocte vero horas subripiebat somno, quas in fratrū conditório vel in ecclésia oratiōni dabat.

Etsi consenuisset, quieti numquam se trádidit, sed in labóribus písque exercitiis ad extrémum usque perréxit. Révera quadam die cum pluri-bus peregrinantur turmis satisfecisset, agnóvit corporis víribus prorsus destitui; ac triduo post, undécimo Kalendas Maii, obdormivit in Dómino, anno millésimo octingentésimo nonagésimo quarto, ætatis suæ septuagésimo quinto. Hunc Dei famulum, heróicis virtutibus et miraculis clarum, Pius Papa undécimus anno millésimo nonengésimo trigesimo inter Beatos réttulit; novisque miraculis fulgente, quadriennio post, idem Summus Póntífex Sanc-tórum fastis solémniter adscrípsit. **Conrádus in oppido Parzham dicecésis Passaviensis piis honestisque parentibus natus, inde a púero, modéstia et solitūdinis amore, quanta futurus esset sanctitatem, præmonstravit. Integra juventute, in agrorūm cultura transacta, ut Deo libérius famularétur, mundo valedice státuit; quapropter, perámplio património abdicato, inter fratres láicos ordinis Minorum Capuccinórum adnumerari obtinuit. Statim ab emissa professione, ad sanctæ Annæ convéntum civitatis Vetöttingæ missus est, ibique janitóris officio addictus; quod ad óbitum usque máximo proximorum emoluménto in omnibus tum ánime tum corporis necessitatibus exércuit. Erga Eucharistiam assíduo flagravit devotionis afféctu, et Deiparam Vírginem tamquam matrem quotidiani obséquuis coluit. Migravit ad Dóminum**

R. Iste homo perfécit omnina quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus géntibus, alleluja. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. **Quia. Glória Patri. Quia.**

Si hoc Festum ad instar Simplicis redigatur, et de ipso IX Lectio juxta Rubricas sit dicenda, sumi potest sequens

Lectio ix

Conrádus in oppido Parzham dicecésis Passaviensis piis honestisque parentibus natus, inde a púero, modéstia et solitūdinis amore, quanta futurus esset sanctitatem, præmonstravit. Integra juventute, in agrorūm cultura transacta, ut Deo libérius famularétur, mundo valedice státuit; quapropter, perámplio património abdicato, inter fratres láicos ordinis Minorum Capuccinórum adnumerari obtinuit. Statim ab emissa professione, ad sanctæ Annæ convéntum civitatis Vetöttingæ missus est, ibique janitóris officio addictus; quod ad óbitum usque máximo proximorum emoluménto in omnibus tum ánime tum corporis necessitatibus exércuit. Erga Eucharistiam assíduo flagravit devotionis afféctu, et Deiparam Vírginem tamquam matrem quotidiani obséquuis coluit. Migravit ad Dóminum

anno millésimo octingentésimo nonagesimo quarto, atá-tis sua septuagésimo quinto.

Te Deum laudámus.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Sint lumbi vestri præcincti, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Pro S. Anselmo:

Lectio ix

Anselmus, Augústæ Praetóriæ in finibus Italiæ, nobilibus et cathólicis paréntibus natus, adoléscens, pátria et bonis ómnibus derelictis, in monastério Beccensi órdinis sancti Benedicti emissa regulári profesióne, in litteris et virtútibus assequéndis mirum in modum profécit. Régiibus, episcopis veneratióni fuit, et sancto Gregorio séptimo étiam accéptus, qui tunc, persecutióibus agitátus, láteras amoris plena ad eum dedit, se et Ecclésiam ejus oratióibus comméndans. Defúncto Lanfranco archiepíscopo Cantuariensi, ejus olim præceptóre, ad ejusdem ecclésia régimen vocátus, verbo et exémplo, scriptis et conciliis celebratís, pristinam pietatē et ecclésiásticam disciplinam redúxit. Sed cum mox Willélmus rex vi et minis jura Ecclésia usurpáre tentáset, ípseque invíte restitísset, bonorum direptionem et exsilium passus, Romam ad Urbánum secundum se contulit. A quo honoriſice excéptus et summis láudibus ornátus, in Barénsi con-

cilio Spíritum Sanctum étiam a Fílio procedéntem, contra Graecorū errórem, innúmeris Scripturárum et sanctórum Patrum testimóniis propugnávit. Post mortem Wilélmi, ab Henrico rege ejus fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. R. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Bened. Ant. Euge, serve bone * et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

Deus, qui misericordiæ tuae jánuam fidélibus patere voluisti: te supplices exorámus; ut, intercedente beato Conrádo Confessore tuo, temporália subsídia nobis tribuas et atérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anselmi:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. R. Stolam gloriæ induit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo atérna salutis béatum Ansélmum ministrum tribuisti: prae-

sta, quásimus; ut, quem Doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminus nostrum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. R. Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Hic vir despiciens mundum * et terréna, triúmphans, divítias célo cóndidit ore, manu, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis:

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et atérnitas téporum, allelúja.

V. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. R. Vos elégit Deus in hereditatém sibi, allelúja.

Oratio

Gregem tuum, Pastor atérne, placidus inténde: et per beatos Sotérem et Cajum Mártyres tuos atque Summos Pontífices perpétua protectione custodi, quos totius Ecclésia præstítisti esse pastores. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio S. Anselmi:

Ant. O Doctor óptime, Ecclésia sanctæ lumen, beáte Ansélmie, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. R. Stolam gloriæ induit eum, allelúja.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo atérna salutis béatum Ansélmum ministrum tribuisti: præsta, quásimus; ut, quem Doctórem vitæ habuimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminus nostrum.

Die 24 Aprilis

S.FIDELIS ASIGMARINA

Martyris

Duplex

Officium ut in Breviario hac die, sed in Ecclesia Cathedrali tantum fit Commemoratio S. Leontii Martyris, cuius Reliquiæ in Ecclesia Cathedrali asservantur, in I Vesperis et Laudibus, ut infra.

IN I VESPERIS

Ant. Filiae Jerúsalem, vénite et vidéte Mártyres cum corónis, quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitatis et lætitiæ, allelúja, allelúja.

V. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúja. R. Et atérnitas téporum, allelúja.

Oratio

Prästa, quásimus, omnipotens Deus: ut, intercedente beato Leónio Mártyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus munérum in mente. Per Dóminus nostrum.

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et atérnitas téporum, allelúja.

V. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Prästa, quássumus, omnípotens Deus: ut, intercedente beato Leónio Mártyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberémur in corpore, et a pravis cogitationibus mundémur in mente. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Aprilis

S. PETRI CANISII

Confessoris et Ecclesiae Doctoris

Duplex II classis (m. t. v.)

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria; et, in I Vespere, non fit *Memoratio præcedentis* (Ss. Cleti et Marcellini Pontificum et Martyrum).

IN I VESPERIS

V. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúja. **R.** Stolam gloriæ induit eum, allelúja.

Ad Magnif. Ant. O Doctor optime, * Ecclésiae sanctæ lumen, beáte Petre, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátem Petrum Confessorem tuum virtutē et doctrinā roborásti: concéde propítius; ut ejus exemplis et mōnitis errantes ad

salútē resipiscant, et fidèles in veritatis confessióne persevérēnt. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Sapientiam, ut in Communi Doctrinum.

In II Nocturno

Lectio iv

Petrus Canisius, Novioma-gi in Géldria eo ipso anno natus est, quo Luthérus in Germánia, aperta rebelliōne, ab Ecclésia descivit, et Ignátius de Loyola in Hispánia, terréstri militia abdicata, ad prælianda prælia Dómini se convérit; Deo nimírum portendente, quos ille post hac adversarios, quem sacra militia ducem esset habiturus. Colónia Agrippinæ, quo studiorum causa concésserat, perpétuo castitatis voto se Deo obstrinxit, et paulo post Societati Jesu nomen dedit. Sacerdócio auctus, cathólicam fidem contra novatórum insidias legationibus, sermónibus, scriptis libris statim defendéndam suscépit. Ob præláram sapiéntiam et explorátum rerum usum a Cardináli Augustáno et a pontificis legatis magnopere expeditus, semel atque iterum Concilio Tridentino intérfuit; cuius étiam decretá ex auctoritate Pii quarti Pontificis Máximi rite per Germániam promulgánda et in morem inducēnda curávit. A Paulo quarto ad convéntum Petri-coviensem ire jussus, aliis-

que a Gregório décimo tértio legationibus obeúndis adhíbitus, álaci semper et numquam fracto difficultatibus ánimo, gravissima religiōnis negotia tractavít, ac vel inter præséntia vitæ discrimina ad felicem exūtum perdúxit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatēm ætéram, allelúja. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Supérno caritatis igne, quem in Basilica Vaticana e penetrálibus Cordis Jesu olim copiōse háuserat, inflammatus, et divinæ gloriæ amplificanda únice inténtus, dici vix potest, quot, per annos amplius quadraginta, labores suscéperit, ærumnásque pertulerit, ut complures Germánia civitates ac provincias vel ab hærēsos contagione défenderet, vel hérési inféctas, cathólicae fidei restitúeret. Venit étiam Fürstenáviam ad episcopum Osnabrugensem, quocum quatuordecim diébus de restituenda in diocési religiōne multa cónsulit; Osnabrúgum quoque vidit et monastéria quædam semidíruta illius urbis, quæ catholicorum exiguum gregem tunébat. In Ratisbonensi et Augustáno convéntu impérii prôceres ad iura Ecclé-

siae tuénda et mores populorum emendándos excitávit; in Vormatiensi in solescentes impietatis magistros ad silentium adégit. A sancto Ignátiio Germánia Superioris provin-cia præfектus, domos et collégia multis locis cóndidit. Collégium Germánicum, Romæ constitutum, omni ope provéhere atque amplificare stúdiū; in academiis sacrarum humanarūmque disciplinárum stúdia, miserandū in modum collápsa, instaurávit; contra Centuriatōres Magdeburgenses duo volúmina egrégie conscrípsit: et summam doctrinæ christiānæ, theologórum judicio et público trium sæculórum usu ubique probatissimam, aliisque complura ad populórum institutiōnem valde accommodata in vulgus édedit. Quam ob rem hæreticorum málleus et alter Germánia apóstolus appellátus, plane dignus hábitus est, qui ad tutándam in Germánia religiōnem divinitus éléctus putaréatur.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum; stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronávit eum, allelúja. **V.** Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Inter hæc, precatiōne crebra et assídua rerum supernarum commentatiōne, lárimis sâpe perfusus et áni-

mo intérnum a sénsibus abdúcto, Deo se conjúngere sólitus erat. A viris principibus vel sanctitáte clarissimis et a quátuor Summis Pontificibus magno in honore hábitus, ádeo de se demisso sentiébat, ut se ómnium mínum et díceret et habéret. Vindobonénsem episcopátum semel, itérum ac térito recusávit. Moderatóribus suis obsequientissimus, paráitus erat ad ipsórum nutum ómnia relinquere aut ággredi, étiam cum valetúdinis et vitæ periculo. Voluntária sui ipsius coercítione castitátem perpétuo sepsit. Demum Fribúrgi Helvétiorum, ubi plúrimum pro Dei glória et salúte animarum últimis vita suæ annis desudáverat, migrávit ad Deum die vicésima prima Decémbrios anno millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, ætatis suæ séptimo supra septuagésimum. Hunc vero strénuum cathólicæ veritatis propugnatórem Pius Papa nonus cálitum Beatórum honóribus adáxuit; novis autem fulgéntem signis Pius undécimus, Póntifex Máximus, anno jubiláti, Sanctórum númeru accénsuit, símilique Doctórem universális Ecclésiæ declarávit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vi di justum coram me ex ómni-

bus géntibus, allelúa. **V.** Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secún dum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13-19

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo saliétur? Et reliqua.

Homilia sancti Petri Canisii Presbýteri

Notæ in Evangelia, in Festo S. Martini Ep., post initium

Amabo et colam missos a Christo Apóstolos horumque successóres in Evangelii sémine spargéndo sédulos et indeféssos propagándi verbi cooperatóres, qui jure testári possunt: Si nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensátiores mysteriorum Dei. Vóluit enim Christus ut vigilantissimus ac fidelissimus paterfamilias per tales ministros ac legátos lucernam evangélicum igne cælitus demisso accéndi, et accénsam non módio suppóni, sed super candelábrum constíui, quæ suum splendórem longe latéque diffúnderet omnésque tum Judæorum tum géntium vigéntes ténebras et erróres profligáret.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus

est, et de omni corde suo laudávit Dóminum: * Ipse intercedat pro peccátis ómnium populórum, allelúa. **V.** Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

Lectio viii

Etenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucére populo, et vocem in déserto clamántem præstare, multisque in pietate juvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermittat, canis mutus non valens latráre a prophéta dicatur. Sed et ardére illum opótet, ut, ópere atque caritaté instrúctus, munus suum ornnet evangélicum, Paulumque ducem sequátur. Is quippe non conténtus Ephesiórum epíscopo demandáre: Præcipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Jesu; constánter etiám apud amícos et inimícios evangelizávit, ac epíscopis apud Ephesum collectis bona dixit consciéntia: Vos scitis, quómodo nihil subtráixerim utilium, quóminus annuntiárem vobis, et docérem vos públice et per domos, testificans Judáis atque gentílibus in Deum pénitentiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

R. In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intellectus, allelúa. **V.** Jucunditatem et exsultatiómem thesaurizávit super eum. Et. Glória Patri. Et.

Feria II Rogationum IX Lec tio de Homilia Feriæ, et fit ejus Commemoratio ad Laudes; alias

Lectio ix

Talem enim pastórem decet esse in Ecclésia, qui, more Pauli, ómnibus ómnia fiat, ut in illo repáriat æger curatióinem, mæstus lætitiam, despérans fidúciam, imperitus doctrinam, dúbios consilium, pénitens véniam atque solátiū, et quidquid tandem ad salútem est cuique necessárium. Quocirca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiæque doctóres constitúere vellet, non sat hábuit discípulis dicere: Vos estis lux mundi: sed etiam illud subjécit: Non potest ciuitas abscondi supra montem pósita, neque accéndunt lucernam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut luceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinantes ecclesiastæ, quod múnieri suo doctrinæ splendóre magis quam vitæ integraté et caritatis ardóre possint satisfácere.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúa.

R. Et osténdit illi regnum Dei, allelúa.

Ad Bened. Ant. Euge, ser-
ve bone * et fidélis, quia in
pauca fuísti fidélis, supra
multa te constituum, intra in
gáudium Dómini tui, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam ca-
thólicam fidem beatum
Petrum Confessorem tuum
virtute et doctrina roborásti:
concede propitiū; ut ejus ex-
émplis et móntis errántes
ad salútem resipiscant, et fi-
déles in veritatis confessione
perseverent. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

V. Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas, allelúja.
R. Et osténdit illi regnum
Dei, allelúja.

Ad Magnif. Ant. O Doctor
óptime, * Ecclésiae sanctæ
lumen, beátæ Petre, divinæ
legis amátor, deprecáre pro
nobis Fílium Dei, allelúja.

**Et fit Commemoratio sequen-
tis (S. Pauli a Cruce Confessoris-
ris tantum:**

Ant. Similábo eum viro sa-
piénti, qui ædificávit domum
suam supra petram, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum, allelúja. **R.**
Stolam gloriæ induit eum,
allelúja.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui,
ad mystérium Crucis
prædicándum, sanctum Pau-
lum singulári caritáte doná-
sti, et per eum novam in Ec-
clésia familiam floréscere vo-

luísti: ipsíus nobis interces-
sione concéde; ut passióne tuam
júgiter recoléntes in
terris, ejúsdem fructum cón-
sequi mereámur in cælis: Qui
vivis et regnas.

Feria IV infra hebdoma-
dam II post Octavam Paschæ

**IN SOLEMNITATE
S. JOSEPH**

Sponsi B. Mariae Virginis,
Confessoris et Ecclesiae uni-
versalis ac Dicecæos Pa-
tronii principalis
Duplex I classis cum Octava
communi

Totum Officium in Festo et in-
fra Octavam fit ut in Breviario.

Die 17 Maij
S. ERICI
Regis, Martyris
Duplex

IN I VESPERIS

V. Sancti et justi, in Dómi-
no gaudéte, allelúja. **R.** Vos
elégit Deus in hereditatém
sibi, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Lux per-
pétuæ * lucébit Sanctis tuis,
Dómine, et ætérnitas témpo-
rum, allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Paschá-
lem Confessorem tuum
mirifica erga Córporis et
Sánguinis tui sacra mystéria
dilectione decorásti: concéde
propitiū; ut, quam ille ex hoc
divino convívio spíritus per-
cépit pinguédinem, eádem
et nos percípere mereámur:
Qui vivis et regnas.

**Et fit Commemoratio præce-
dentis (S. Ubaldi Episcopi et
Confessoris):**

Ant. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum: stolam gloriæ
induit eum, et ad portas pa-
radisi coronávit eum, allelúja.

V. Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas, allelúja.
R. Et osténdit illi regnum
Dei, allelúja.

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dó-
mine, quæsumus, placá-
tus impénde: et intercessione
beati Ubáldi Confessoris tui
atque Pontificis contra omnes
diaboli nequitias déxeram
super nos tuæ propitiatiōnis
exténde.

**Deinde Commemoratio S. Pas-
chalis Baylon Confessoris:**

Ant. Similábo eum viro sa-
piénti, qui ædificávit domum
suam supra petram, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum, allelúja. **R.**
Stolam gloriæ induit eum,
allelúja.

Oratio

Deus, qui beátum Paschá-
lem Confessorem tuum
mirifica erga Córporis et
Sánguinis tui sacra mystéria
dilectione decorásti: concéde
propitiū; ut, quam ille ex hoc
divino convívio spíritus per-
cépit pinguédinem, eádem
et nos percípere mereámur:
Qui vivis et regnas.

**In I Nocturno, si dicendæ non
sint de Scriptura occurrenti, Lec-
tiones Fratres: Débitóres, de
Communi plurimorum Martyrum
extra Tempus Paschale cum RR.
de Communi Martyrum Tempore
Paschali.**

In II Nocturno

Lectio iv

Ex Annalibus Suecicis

Clarissimum regni Suecæ
lumen Ericus, Jaduári
nobilissimi patris óptimus fi-
lius, ab ineunte ætate in ti-
mōre Dómini educátus est.
Christiána deinde, Ingónis
regis filia, Philíppi nepóte,
uxore accépta, factus est cum
ea ómnibus præclarum virtútis
exemplar; ita ut, regno va-
cante patriaque in máximis
periculis constituta, a princí-
pibus terra et omni pópulo,
magno consensu, in regem
electus fuerit. In throno ré-
gio constitutus, christiánae re-
ligiónis, quam sanctus Ans-
garius in Sueciam primus in-
tulerat ejusque successores
Hamburgenses archiepiscopi
ibidem propagárant, strénuous
semper fautor et défensor éx-
stitit. Quare totam suam cu-
ram et sollicitudinem cóntulit
primo ad cultus divini amplifi-
cationem, et ecclesiárum æ-
dificationem: deinde ad pó-
puli in pace gubernatiōnem:
justitiæque administrationem:
tum ad hóstium fidei et regni
expurgatiōnem. Ad quæ felí-
citer perficienda, divina pro-
vidéntia nactus erat sanctis-

sime vitæ, et summæ eruditioñis virum, beatum Henricum episcopum Upsalensem, ad cuius consilia et pias exhortationes pius rex omnem vitæ suæ cursum juxta præceptum Domini ordinabat.

R. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Domine. * Et aeternitas temporum, alleluia, alleluia. V. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium et exultationem obtinébunt. Et.

Lectio v

Erant tum Finnoes non solum regni, sed etiam fidei christiana pertinacissimi hostes, qui continua bella et damna Suenonibus inferabant. Eos rex sanctus, collecto exércitu, non solum regno adjunxit, sed etiam cura beati Henrici episcopi Upsalensis ad fidem Christi adduxit. Superatis autem hóstibus, in Sueciam reversus, velut alter Sálomon, omne stúdium ad ecclésias erigendas et dotandas convértit: ac inter cétera sua pietatis et magnificéntiae ópera, ecclésiam Upsalensem, ab antiquis régibus fundatam, opere magnifico ac plane régio consummavit. Justitiæ et pacis intersubditos, ac defensionis páuperum ab oppressione, primam et sumnam rationem hábuit. In subditos autem suos ádeo clemens et benignus exstitit, ut tertiam partem pœnárum, quae ad reipublica-

fiscum ex consuetudine pertinebat, sibi offerentes, pia objurgatione saepe repulerit, dicens: Mihi mea sufficiunt, vobis vestra serváte.

R. In servis suis, alleluja, * Consolábitur Deus, alleluja. V. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. Consolábitur.

Lectio vi

Dici non potest, quanta fuerit hujus regis sanctitas, in orationibus, jejuniis, vigiliis, in castigatione carnis, in cilicio, in eleemosynis. Apud eum inopes infirmi et calamitosi, et quaquamque adversitate afflitti, præsentissimam semper consolationem invenérunt. Quæ opera ejus quóniam non erant de mundo, mundus eum odio habere cœpit. Quidam enim Sueciae primates, in necem ejus conspirantes, Henricum Scatelérum, Sueonis Dánici filium cognatum ejus, contra illum concitativerunt: qui Ericum apud Upsalensem metrópolim, ipso die Ascensionis Domini, sacrificium Missæ audiéntem, ex improviso cum exércitu adortus est. Pius rex, quamvis a suis moneretur, hostem jam prope adessse, nónnisi tamen finito sacrificio illi óbyiam processit. Cum quo strénuè decertans, regnum terrénūm cælesti et semipiterno regno commutavit, anno Domini millésimo centésimo sexagésimo, ibidem in

Upsalensi ecclésia sepultus. Per quem Deus multa ad multorum salutem miracula operátrum.

R. Filiæ Jerúsalem, venite et videte Mártires cum corónis, quibus coronávit eos Dominus. * In die solemnitatis et laetitiae, alleluia. V. Quóniam confortavit seras portarum tuárum, benedix filios tuos in te. In. Glória Patri. In.

In III Nocturno Homilia in Evangelium. Ego sum vitis, vos pámmites, de Communi Martyrum Tempore Paschali 2 loco.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homínia Feriae, et fit ejus Commemoratio in Laudibus, alias

Pro S. Paschale Baylon:

Lectio ix

Paschalis Baylon, paupéribus písque paréntibus in oppido Turris Formósæ in Aragónia natus, pueritiam atque adolescéntiam in gregis custódia transégit. Postea severioris vitæ institutum ampléxus, et ordini fratrum Mínorum adscriptus, júgiter cogitabat, qua se ratione magis magisque Christo crucifixo conformaret. Deíparam Virginem, cuius clientélæ se ab ineunte ætate dicáverat, tamquam matrem filiálibus et quotidiánis obséquuis colébat. Erga Eucharistiam ténero et assiduo flagrávit devotionis affectu, quem defunctus etiam retinére visus est, dum

jacens in férreto, ad sacræ Hóstiae elevationem, bis óculos reserávit et clausit, magna ómnium, qui áderant, admiratione. Méritis plenus migrávit ad Dóminum, anno millésimo quingentésimo nonagésimo secundo. Eum Leo décimus tertius peculiarem cíctuum eucharisticórum, societatumque ómnium a sanctissima Eucharistia patrónum cælestem declarávit et constituit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

V. Pretiosa in conspectu Domini, alleluia. R. Mors Sanctórum ejus, alleluia.

Ad Bened. Ant. Filiæ Jerúsalem, * venite et videte Mártires cum corónis, quibus coronávit eos Dominus in die solemnitatis et laetitiae, alleluia, alleluia.

Oratio

Deus, qui beato Érico, Regi et Mártiri tuo, victoria palmarum et cælestis regni gloriā contulisti: fac nos, quæsumus, ejus méritis et intercessione, cuncta nobis adversántia vincere, et corónam gloriæ in caelis feliciter obtinere. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Paschalis Baylon:

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitutum, intra in gáudium Domini tui, alleluia.

V. Justum deduxit Dóminus per vias rectas, alleluja.
R. Et ostendit illi regnum Dei, alleluja.

Oratio

Deus, qui beatum Paschálem Confessórem tuum mirifica erga Córporis et Sanguinis tui sacra mystéria dilectione decorásti: concéde propitiū; ut, quam ille ex hoc divino convívio spíritus percépit pingüédinem, eándem et nos percípere mereámur: Qui vivis et regnas.

Vesperæ a Capitulo de sequenti (S. Venantio Martýre), Commemoratio præcedentis:

Ant. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, alleluja: vos elégit Deus in hereditatē simbi, alleluja.

V. Pretiosa in conspéctu Dómini, alleluja. **R.** Mors Sanctórum ejus, alleluja.

Oratio

Deus, qui beato Erico, Regi et Martýri tuo, victoriæ palmam et cælestis regni gloriæ contulisti: fac nos, quæsumus, ejus méritis et intercessione, cuncta nobis adversántia vincere, et corónam gloriæ in cælis feliciter obtinere. Per Dóminum.

Deinde Commemoratio S. Paschalis Baylon:

Ant. Hic vir despiciens mundum et terréna, triúphans, divítias cælo cóndidit ore, manu, alleluja.

V. Justum et Oratio Deus, qui beatum Paschálem, ut supra.

Die 1 Junii

In Ecclesia Cathedrali tantum:

* IN TRANSLATIONE RELIQUARUM SS. REGINÆ, JULIANÆ, CORDULÆ, CORDUÆ ET SOCIARUM

Virginum et Martyrum

Duplex

IN I VESPERIS

Ant. Ego Dóminus dabo eis nomen mélius a filiis et filiábus: nomen sempitérnum dabo eis, quod non peribit, alleluja.

V. Deus meus, impollúta via ejus, alleluja. **R.** Protector est ómnium sperántium in se, alleluja.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, beatárum Reginæ et Sociarum, Virginum et Martyrum tuárum, palmas incessábili devo-tiōne venerári: ut, quas dignamente celebráre non possumus, humílibus saltē frequentémus obséquiiis. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

Invit. Regem Virginum, Dóminum, * Veníte, adorémus, alleluja.

Ps. 94 Veníte, exsultémus.

Hymnus

Vox sonat Sponsi: Diutúna cessit
Nunc hiems, tristes abiére nimbi,
Ver adest, flores rédolent: parátæ
Súrgite, Sponsæ.

Obviam Jesu properáte ovántes,

Vírgines: vestrum caput ipse cinget

Lílii: secum thálamo recéptas

Ipse beábit.

Vos enim nullus labor hoc in orbe

Térruit, Sponsi mémores amántis;

Hujus et causa tolerástis ultro

Aspera quæque.

Ipse, qui vobis móriens supérnas

Addidit vires, simul edomáre Córporis sexum dedit, et

cruéntas

Víncere pugnas.

Hinc fidem Christo, semel obligátam,

Usque servástis; rutilátque vestra

Impigre lampas, nihil imbre et atris

Victa procéllis.

Terra nunc vobis patet, unde curæ

Exsulant omnes, ubi nil opacat

Límpidi cæli fáciem, perén-nis

Sol ubi fulget.

Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi, compar utriusque virtus,
Spíritus semper, Deus unus, omni
Témporis ævo.
Amen.

In I Nocturno

Si dicendæ non sint Lectiones de Scriptura, dicuntur sequentes.

De Epístola secúnda beati Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 4, 6-10

Deus illúxit in córdibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictilibus, ut sublímitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiōnem pátimur, sed non angustiámur; aporiámur, sed non destitúimur; persecutiōnem pátimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus; semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestetur in corpóribus nostris.

R. Ecce, Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos: iste Dóminus, sustinúmus eum, * Exsultábimus et lætabimur in salutari ejus, alleluja. **V.** Neque mors, neque vita, neque creatúra ália pótterit nos separare a caritáte Dei, que est in Christo Jesu. Exsultábimus.

Lectio ii Cap. 4, 11-15

Semper enim nos, qui vivimus, in mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortálí. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúndem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum; et nos crédimus, propter quod et lóquimur: scíentes quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábít, et constituet vobiscum. Omnia enim propter vos, ut grátia abúndans per multos in gratiárum actiōne abúndet in gloriā Dei.

R. Benedictus Deus, qui consolátor nos in omni tribulatiōne nostra: quóniam, sicut abúndant passiónes Christi in nobis. **I**ta et per Christum abúndat consolatiō nostra, allelúja. **V.** Quia in eo lætabítur cor nostrum: et in nómine sancto ejus sperávimus. **I**ta.

Lectio iii Cap. 4, 16-18

Propter quod non deficitus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpáitur; tamen is, qui intus est, renováтур de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentáneum et leve tribulatiōnis nostraræ, supra modum in sublimitáte ætérnum gloriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ

non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt; quæ autem non vidéntur, ætérna sunt.

R. Herédes quidem sumus Dei, coherédes autem Christi: * Si tamen compátimur, ut et conglorificémur, allelúja. **V.** Non sunt condignæ passiónes hujus témporis ad futúram gloriām, quæ revelábitur in nobis. **S.** Glória Patri. **S.**

In II Nocturno

Lectio iv

Nobile sacrúmque agmen, quod géminis virginitatis et martírii corónula exornatum sancta Ursula, Virgo præclaríssima, triúmphans olim in cælum introdúxit, religiosa semper veneratiōne prosecuti sunt antistites et populi Germaniæ. Inter quos ardentiore a sǽculis stúdio sacrárum Virginum ampléxi sunt cultum et Episcopi et presbýteri Osnabrugenses. Namque Cathedrális templi Capitulum, annuente Præsule, prope ménia civitatis Osnabrugénsis, extra portam Hérrrenteich, instituit Hospitale, quod ab undecim milibus Virginum nuncupari, et infirmis sacerdótiis emeritis receptáculum esse voluit, ut residuos ætatis dies divina contemplando vitæque anteactæ máculas diluendo consumérent, et ad felicem se accíngerent óbitum. Ibidem etiám anno millésimo

trecentésimo nono, Engelbérto de Weihe Episcopo, exstrúcta est capélla lignea; in cuius locum paucos post annos subrogátum est sacéllum lapideum, quod et ipsum iisdem Virginibus dedicátum, póstmodum altárium et beneficiorum fundatiōibus locupletatum, at una cum Hospitáli die décima séptima mensis Aprilis anni millésimi quingentésimi quinquagésimi tertii, cum subúrbia deleréntur, a catérra populi perústum est.

R. O quam pulchra est castra generatiō cum claritatē: immortális est enim memória illius: * Quóniam et apud Deum nota est, et apud homines, allelúja. **V.** Cum præsens est, imitántur illam: et desiderant eam, cum se edúxerit. Quóniam.

Lectio v

Gottfríodus Episcopus, qui século décimo quarto ab anno vicésimo primo ad usque annum undequinquagesimum Osnabrugensem gubernávit Diocésim, pia erga sanctas Virgines veneratiōne a sorore sua Peronetta, Comitissa de Arnsberg, quæ Cœnobii sanctæ Ursulæ in Coloniensi civitatis tunc Abbatissa exstitit, impénde pétit aliquot Ursuláni cœtus reliquias, quas consentiēnte Coloniensi Archiepiscopo vera impetrávit; erant autem inter alia plúrima beati Per-

mérii, Episcopi Cremonénsis et Mártyris, beatárum Reginæ, Juliánæ, Córdulæ ac Córduae, Virginum et Mártyrum, veneranda lipsana. Tanto dátus thesáuro, Præsul summo exsultávit gáudio; jamque caute ac reverénter sacras has exúrias compósuit, et transférri fecit Osnabrugum, ubi ingénti totius Cleri ac populi lætitia excéptas, solemnissimo ritu, cum hymnis et cáanticis, in majóri Ecclésiae Cathedrális ara cóndidit, atque diem hanc Kalendárum Júnii ánnua translatiōni solemnitate célebrem posteritati esse voluit et ordinávit.

R. Oleum effúsum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexérunt te: * Trahe me: poste currémus in odórem unguentórum tuórum, allelúja. **V.** Speciosus forma præ filialis hominum, diffusa est grácia in lábiis tuis. **Trahe.**

Lectio vi

Prælaudátas reliquias magna pietate complúres tum Episcopi successóres tum Canónici et álli argénteis tumbris thecisque pretiósis ornári curáront. Cum autem anno millésimo sexcentésimo trigésimo tertio, desæviénte belli procélla, civitatis ecclésiæ omni fere argento et auro despoliaréntur, Deo favénte fidelibúsque vigilántibus hæc sacra lipsana conserváta sunt integra; quæ Franciscus Wilhélmus, inlytus Episcopus ac

póstmodum Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális, post ex-sílum duodeviginti annórum Osnabrugénsi Sedi restitútus, diligénti inquisitióne et inspectiōne perácta, ita conserváta invénit et agnóvit. Quare hilaréscens in Deo jubilávit, nec lilia nec rosas, castitátē cándidas, martýrio purpúreas, Ecclésiæ suæ déssesse, et anno quinquagésimo primo sáculi décimi séptimi decretivit, servándam esse ánuam hanc solemnitátem. Sacra autem pignora, in vetústis thecis spléndidis conclúsia, ineúnte sáculo vicésimo in nova ac magnifica ara májori débito cum honore cónrita, religióse asservántur, et complíries per annum piæ fidélum veneratióni patefunt.

R. Impleat Deus omne desidérium vestrum, * Secundum divítias suas in glória, in Christo Jesu, alleluja. V. Ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo. Secundum. Glória Patri. Secundum.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangélii secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Je-sus discípulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælórū decem virgi-nibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exierunt óbiam sponsō et sponsæ. Et réliqua.

Homilia sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth. cap. 27, n. 4-5

Lámpades ígitur, animárūm splendéntium lumen est, quæ sacraménto baptísmi splenduerunt. Oleum, boni óperis est fructus. Vasa, humána sunt cörpera, intra quo-rum viscera thesáurus bonæ consciéntiae recondéndus est. Vendéntes sunt hi, qui misericórdia fidélum indigéntes, reddunt ex se petita commér-cia, indigéntiæ sua scilicet satietáte, boni óperis nostri consciéntiam veneúntes. Hæc enim indeféssi lúminis copiōsa matériæ est, quæ misericórdiæ fructibus et eménda est et recondénda. Núptiæ, immortalitatis assúmptio est, et inter corruptionem et in-corruptionem ex nova socie-tate conjunctio.

R. Magis satágite, ut per bona ópera certam vestram vocatiōnem et electiōnem faciatis: * Hæc enim faciéntes, non peccábitis aliquando, alleluja. V. Estote itaque prudéntes, et vigiláte in oratiōni-bus. Hæc.

Lectio viii

Mora sponsi, pœnitentiæ tempus est. Exspectantiū somnus, credéntium quies est, et in pœnitentiæ témpore mors temporária universórum. Nocte média clamor, cunctis ignorántibus

tubæ vox est, Dómini præcedéntis advéntum, et univer-sos, ut óbiam sponso ex-eant, excitántis. Lámpadum assúmptio, animárūm est rédi-tus in cörpera; earúmque lux, consciéntia boni óperis elúcens, quæ vásculis cörperum continétur. Prudéntes Virgines hæ sunt, quæ op-portúnū in corpóribus ope-randi tempus ampléxæ, in pri-mum se occúrsum advéntus Dóminici præparáverint. Fá-tuæ autem, quæ dissolutæ ac negligéntes, præséntium tan-tum sollicitudinem habúerint; et immóres promissórum Dei, in nullam se spem re-surrectionis exténderint.

R. Média nocte clamor fac-tus est: * Ecce, sponsus ve-nit, exite óbiam eī, alleluja.

V. Prudéntes Virgines, aptá-te vestras lámpades. Ecce. Glória Patri. Ecce.

In Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Vigiliæ, et fit ejus Commemoratio in Laudibus; alias:

Lectio ix

Et quia prodire óbiam fá-tuæ exstinctis lampádi-bus non possunt, deprecán-tur eas quæ prudéntes erant, ut óleum mutuéntur. Quibus respondérunt non posse se dare, quia non sit forte quod ómnibus satis sit: alienis scilicet opéribus ac méritis né-minem adjuvándum, quia uni-cuique lámpadi sua emere óleum sit necésse. Quas hor-tántur ut rédeant ad emén-

dum: si vel sero præcéptis Dei obsequéndo, cum lámpa-dum luce Sponsi dignæ effi-ciántur occúrsu. Quibus mo-rántibus, sponsus ingrēssus est; atque, una cum eo in nuptiis, sapiéntes, que com-parátó lámpadum lúmine ope-riebántur, intróeunt, id est, in caeléstem glóriam sub ipso statim advéntu Domínicae clari-tatis incédunt.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Capit. 2 Cor. 4, 6-7

Fratres: Deus illúxit in cör-dibus nostris ad illuminatiōnem sciéntiæ claritatis Dei, in fácie Christi Jesu: habémus autem thesárum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis.

Hymnus

Jesu, coróna Virginum,
Quem Mater illa cócipit,
Quæ sola Virgo párturit,
Hæc vota clemens ácipe:

Qui pergis inter lilia,
Septus choréis Virginum,
Sponsus dcorús glória
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, Vírgi-nes

Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cùrsitant,
Hymnósque dulces péso-nant;

Te deprecámur suplices,
Nostris ut addas sén-sibus
Nescire prorsus ómnia
Corruptionis vulnera.

Deo Patri sit glória,
Et Fílio, qui a mórtuis
Surréxit, ac Paráclito,
In sempitérna sǽcula. Amen.

J Ab Ascensione autem usque
ad Feriam VI ante Vigiliam Pen-
tecostes inclusivæ dicuntur:

Jesu, tibi sit glória,
Qui victor in cælum redis,
Cum Patre et almo Spíritu,
In sempitérna sǽcula.

Amen.

V. Vírgines laudent nomen
Dómini, allelúja. **R.** Quia ex-
altátum est nomen ejus so-
lius, allelúja.

Ad Bened. **Ant.** Venit
Sponsus: * et Vírgines, quæ
paráta erant, intravérunt cum
eo ad nuptias, allelúja.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dó-
mine Deus noster, bea-
tárū Reginæ et Sociárū,
Vírginum et Mártirum tuá-
rum, palmas incessábili devo-
tióne venerári; ut, quas digna-
mente celebráre non pòssu-
mus, humílibus saltem fre-
quentémus obséquis. Per Dó-
minum nostrum.

AD TERTIAM**Capit.** 2 Cor. 4, 6-7

Fratres: Deus illúxit in cór-
dibus nostris ad illuminá-
tióne scíentiae claritatis
Dei, in fácie Christi Jesu:
habémus autem thesáurum
istum in vasis fictilibus, ut
sublímitas sit virtútis Dei, et
non ex nobis.

R. br. Deus meus, impol-
lúta via ejus, * Allelúja, alle-
lúja. **Deus.** **Y.** Protéctor est
ómniū sperántium in se. Al-
lelúja. Glória Patri. Deus.

V. Afferéntur Vírgines in
lætitia et exsultatióne, alle-
lúja. **R.** Adducéntur in tem-
plum Regis, allelúja.

AD SEXTAM**Capit.** 2 Cor. 4, 16

Propter quod non defici-
mus: sed licet is, qui fo-
ris est, noster homo corrum-
pátr; tamen is, qui intus est,
renovátr de die in diem.

R. br. Afferéntur Vírgines in
lætitia et exsultatióne, *
Allelúja, allelúja. Afferéntur.
V. Adducéntur in templum
Regis. Allelúja. Glória Patri.
Afferéntur.

V. In nómine tuo, Dómi-
ne, exsultábunt tota die, alle-
lúja. **R.** Et in justitia tua ex-
altabúntur, allelúja.

AD NONAM**Capit.** 2 Cor. 4, 17

Id enim, quod in præsénti
est momentáneum et leve
tribulatióne nostræ, supra
modum in sublimitáte ætér-
num gloriæ pondus operátrur
in nobis.

R. br. In nómine tuo, Dó-
mine, exsultábunt tota die, *
Allelúja, allelúja. **In nómine.**
Y. Et in justitia tua exal-
tabúntur. Allelúja. Glória Pa-
tri. **In nómine.**

V. Vírgines laudent nomen
Dómini, allelúja. **R.** Quia ex-
altátum est nomen ejus so-
lius, allelúja.

IN II VESPERIS

**Capitulum et Hymnus de Lau-
dibus 31*.**

V. Vírgines laudent nomen
Dómini, allelúja. **R.** Quia ex-
altátum est nomen ejus so-
lius, allelúja.

Ad Magnif. **Ant.** Casta ge-
neratió * in perpétuum coro-
nata triúmphat, incoquinat-
órū certáminum prémium
vincens, allelúja.

Et fit Commemoratio sequentis
(Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi
Martyrum):

Ant. Lux perpétua lucébit
Sanctis tuis, Dómine, et ætér-
nitas témporum, allelúja.

V. Sancti et justi, in Dómi-
no gaudéte, allelúja. **R.** Vos
elégit Deus in hereditátem
sibi, allelúja.

Oratio

Deus, qui beatum Fran-
ciscum, novi órdinis in-
stitutórem, orándi stúdio et
pénitentiæ amóre décorasti:
da fámulis tuis in ejus imita-
tióne ita profícere; ut, sem-
per orántes et corpus in ser-
vitútem redigéntes, ad cælē-
stem gloriæ pervenire me-
réantur. Per Dóminum.

Die 5 Junii**S. BONIFATII****Episcopi et Martyris
Duplex II classis**

Officium fit sub ritu dupli-
ci classis; quare tam I quam
II Vespere recitantur integrae de
S. Bonifatio, et in I Vespere fit

³ Propri. Osnabrug. P. Verna

Commemoratio præcedentis (S.
Francisci Caracciolo Confessoris),
in II Vesperis vero Com-
memoratio sequentis (S. Norberti
Episcopi et Confessoris).

Omnia de Communi unius Mar-
tyris Tempore Paschali præter-
ea, quæ in Breviario hac die ha-
bentur propria.

Lectiones I Nocturni A Miléto,
de Communi unius Martyris extra
Tempus Paschale cum Respon-
soriis Tempore Paschali.

IN I VESPERIS

**Pro Commemoratione præce-
denti:**

Ant. Hic vir despiciens
mundum et terréna, triúm-
phans, divítias cælo cónudit
ore, manu, allelúja.

V. Justum dedúxit Dómi-
nus per vias rectas, allelúja.
R. Et osténdit illi regnum
Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui beatum Fran-
ciscum, novi órdinis in-
stitutórem, orándi stúdio et
pénitentiæ amóre décorasti:
da fámulis tuis in ejus imita-
tióne ita profícere; ut, sem-
per orántes et corpus in ser-
vitútem redigéntes, ad cælē-
stem gloriæ pervenire me-
réantur. Per Dóminum.

IN II VESPERIS

**Pro Commemoratione sequen-
tis:**

Ant. Sacérdos et Póntífex,
et virtútum ópifex, pastor bo-
ne in pòpulo, ora pro nobis
Dóminum, allelúja.

V. Amávit eum Dóminus,
et ornávit eum, allelúja. **R.**
Stolam glóriæ índuit eum,
allelúja.

Oratio

Deus, qui béatum Norbér-
tum Confessórem tuum
atque Pontificem verbi tui

præcónem exímium effecísti,
et per eum Ecclesiás tuam
nova prole fecundásti: præ-
sta, quésumus; ut, ejúsdem
suffragántibus méritis, quod
ore simul et ópere dócuit, te
adjuvánte, exercére valeá-
mus. Per Dóminum.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Adolphi Ep. Osnabrug. et Conf., duplex. 14 Februarii	3*
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii	33*
Clementis Maria Hofbauer Conf., duplex majus. 15 Martii	6*
Conradi a Parzham Conf., duplex. 21 Aprilis	13*
Erici Regis, Mart., duplex. 17 Maii	22*
Fidelis a Sigmarina Mart., duplex. 24 Aprilis	17*
Gosberti Ep. Osnabrug. et Mart., duplex. 13 Februarii	1*
Joseph Solemnitas, duplex I classis cum Octava communi- Fer. IV infra hebdom. II post Octavam Paschæ	22*
Leontii Mart., Commemoratio. 24 Aprilis	17*
Ludgeri Ep. et Conf., duplex. 26 Martii	9*
Petri Canisii Conf., et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis	18*
Translatio Reliquiarum Ss. Reginæ et Soc. Vv. et Mm., duplex. 1 Junii	26*
Wihonis Proto-Ep. Osnabrug. et Conf., duplex. 20 Aprilis	11*

SUPPLEMENTUM**Officia nonnullorum Ss. Patronorum in Ecclesiis
eorum propriis**

Festum Tituli seu Patroni in Ecclesia propria celebratur sub ritu duplici I classis cum Octava communi. Quare in ipso Festo omnia dicuntur de respectivo Communi præter ea, quæ Festum habet propria; infra Octavam vero et in die Octava Antiphona et Psalmi ad omnes Horas et Versus Nocturnorum de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio; reliqua ut in Festo, præter Lectiones I et II Nocturni, quæ in I Nocturno, nisi, Lectionibus de Scriptura deficientibus, sumi debeant de Festo aut de Communi, dicuntur de Scriptura occurrenti cum suis Respondoriis de Tempore, in II Nocturno vero semper de Communi.

Quodsi Festum Tituli seu Patroni Ecclesiæ impeditum fuerit etiam perpetuo, transferatur in primam sequentem diem non impedita ab Dominica quavis vel Vigilia Epiphaniæ, ab alio Festo duplice I vel II classis, vel ab Officiis ejusmodi Festum respective excludentibus.

Festa autem duplicita majora vel minora aut semiduplicia, quæ in universa Ecclesia celebrantur, si accidentaliter vel perpetuo impedita fuerint per Festum Patroni Ecclesiæ vel ejusdem diem Octavam, non transferuntur, sed de eis fit Commemoratio juxta Rubricas; et si Festum impediens fuerit ipse dies festus Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio tantum in Laudibus et in Missis privatis, et non legitur IX Lectio; si vero Festum aliquod impeditatur per diem Octavam Patroni, de Officio impedito fit Commemoratio in utrisque Vesperis et in Laudibus, et legitur IX Lectio historicæ. Idem servatur de Festis propriis Dioceseos duplicitibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ pariter, si in aliqua particulari Ecclesia per Festum Patroni ejusve diem Octavam suo die fuerint impedita, commemorantur ut supra.

Dies autem Octava Patroni Ecclesiæ tam in occursu quam in concursu cedit cuilibet Dominicæ.

De Octavis Patronorum, quæ non sunt in Breviario Romano, nihil fit a die 17 ad 24 Decembris, a Feria IV Cinerum ad Dominicam in Albis, et a Vigilia Pentecostes ad Festum Sanctissimæ Trinitatis, semper inclusive.

Festum Assumptionis Beatae Mariæ Virginis habendum est pro Titulari Ecclesiæ, que titulo gaudet ejusdem B. M. V., absque adjuncta denominazione alicujus Mysterii, de quo Festum speciale celebratur.

PARS Verna

Die 23 Aprilis

S. GEORGII

Martyris

Duplex I classis cum Octava
communiOmnia de Communi unius Mar-
tyris Tempore Paschali præter
ea, quæ hic habentur propria.

Oratio ut in Breviario hac die.

In I Nocturno Lectiones Fra-
tres: Debitores, de Communi plu-
rimorum Martyrum extra Tempus
Paschale cum Responsoriis de
Communi Martyrum Tempore
Paschali.

In II Nocturno

Lectio iv

Geórgius nobílibus paré-
tibus in Cappadócia na-
tus, sancte ab illis et reli-
gióse educátes est. Iis vita
functis adhuc aduléscens, tri-
búnus mítitum factus, et ál-
lis insignitus honóribus sub
Diocletiano Cásare militávit.
Verum cum edictis imperiál-
ibus persecutiōnem in Chri-
stiános céneret ácrius de-
sævire, id indígne ferens, op-
portúnū quoque fore illud
tempus exístimans ad salú-
tem et ad martýrii glóriam,
facultáibus suis in páuperes
erogátiis servísque libertáte
donátis, zelo fidei ac religió-
nis accénsus, imperatórem
adit, Christúmque verum De-
um libere conféssus, ipsum

de tam ímpia in Christiános
crudelitáte constánter accu-
sat.

R. Lux perpétua lucébit
Sanctis tuis, Dómine, * Et
atérnitas témporum, allelúja,
allelúja. **V.** Lætitia sempitér-
na erit super cápita eórum:
gáudium et exsultatiōnem ob-
tinébunt. **Et.**

Lectio v

Admirátus vehémenter im-
perátor, quod Geórgius
præter ómnium opiniónem
Christiánus esset, primo blandi-
s illum verbiis ac magnis
pollicitatiōnibus, deinde mi-
nis pœnarúmque terróribus a
fidei senténtia conáatur avé-
tere. Sed cum nihil profice-
ret, nec ullo modo viri con-
stántiam posset de pio ac
sancto propórito demovére,
jubet ipsum primo in cárcé-
rem tradi, ibique diu afflíg-
tum verbéribus cæsum, rota
mucrónibus præfixa ad ejus
corpus admóta, laniári, déni-
que torréi sartágine varié-
que torquéri. Quam ille tor-
mentórum vim ubi álaci ac
forti ánimo tulisset, indequè
incólumis mirabiliter evasí-
set, plúrimos suo exémplo ad
fidei constántiam excitávit.

R. In servis suis, allelúja,
* Consolábitur Deus, alle-
lúja. **V.** Judicábit Dóminus

pópulum suum, et in servis
suis. **C**onsolábitur.

Lectio vi

Impius autem persecútior
cum exímiam Mártyris for-
titúdinem non divinæ virtutí,
ut par erat, sed mágicis árti-
bus adscríberet, ipsum secú-
ri pércuti jubet. Geórgius igi-
tur fórtiter data cervíce, mar-
týrii coróna nobilitátus est.
Cóporis ejus relíquias divé-
ras in regiōnes delátæ, sum-
mo ab íncolis habéntur ho-
nóre. Caput Roma in Diacó-
nia sancti Geórgii honorífice
asservátur: et ipsius Mártyris
nomen non solum in Oriénte,
ubi passus est, sed étiam in
Occidénte ubique claríssimum
est. Quam propítius impló-
rántibus ejus auxílium adéssé
consuéverit, reges præsértim
et príncipes sæpius in mili-
tari conflíctu expérti sunt,
frequéntes étiam ejusdem
Mártyris memoriæ ubique te-
stántrur.

R. Filiæ Jerúsalem, veníte
et vidéte Mártyres cum co-
rónis, quibus coronávit eos
Dóminus *. In die solemnitá-
tis et lætitiae, allelúja. **V.**
Quóniam confortávit seras
portárum tuárum, benedixit
filios tuos in te. **In.** Glória
Patri. **In.**

In III Nocturno Homilia in Ev-
angelium Ego sum vísus vera, de
eodem Communi 1 loco.

Die 12 Maii
S. PANCRATII
Martyris

Duplex I classis cum Octava
communi

Omnia de Communi unius Mar-
tyris Tempore Paschali præter
ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Prästa, quæsumus, omni-
potens Deus: ut, qui bé-
ati Pancratii Mártyris tui na-
talitia cólimus, intercessiōne
ejus in tui nómínis amore ro-
borémur. Per Dóminum.

In I Nocturno Lectiones Fra-
tres: Debitores, de Communi plu-
rimorum Martyrum extra Tempus
Paschale cum Responsoriis de
Communi Martyrum Tempore Pas-
chali.

In II Nocturno Lectio IV Pan-
cratius, in Phrygia, quam de S.
Pancratio habet Breviarium Roma-
num hac die tamquam Lectionem
VI, Lectio V Dignum et congru-
um, Lectio vero VI Annuntiámus,
de Communi Martyrum Tempore Pas-
chali 1 loco.

In III Nocturno Homilia in Ev-
angelium Ego sum vísus vera, de
eodem Communi 1 loco.

Feria II Rogationum et in Vi-
gilie Ascensionis IX Lectio de
Homilia Feriæ, et fit ejus Com-
memoratio in Laudibus.

De Ss. Nero, Achilleo et Do-
mitilla Virgine, Martyribus fit
Commemoratio tantum in Laudi-
bus:

Ant. Lux perpétua lucébit
Sanctis tuis, Dómine, et atér-
nitas témporum, allelúja.

V. Sancti et justi, in Dómino gaudéte, allelúja. **R.** Vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúja.

Oratio

Semper nos, Dómine, Mártyrum tuorum Nérei, Achillei atque Domitillæ, fóveat, quássumus, beáta solémnitas: et tuo dignos redat obséquio. Per Dóminum.

Et non legitur IX Lectio historicæ.

Die 13 Maii

S. SERVATII

Episcopi et Confessoris

Duplex I classis cum Octava
communi

Omnia de Communi Confessoriis Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio

Deus, qui dedidisti populo tuo sanctum Servátium prædicatorem: concéde, quæsumus; ut tanti Pontificis intercessione ab omnibus ubique liberémur adveráns, et tranquilla prosperitate in tua laude lætemur. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Fidélis sermo, de Communi.

In II Nocturno

Lectio iv

Sanctus Servátius, ecclésiae Tungrénensis episcopus, toto Christiano orbe Ariánica hæresi agitato, orthodóxa

doctrína et fidei puritatē mire elúxit. Intérfuit Concilio Sardicensi, ubi fides Nicáne Sínodi confirmata est. Contra Ariánæ impietatis assertóres, impiúmque Imperatórem Constantíum iis favéntem constantíssimus perseverávit. Testátur sanctus Gérgorius Turonénsis episcopus, Servátium fuisse virum exímiae sanctitatis, vigiliis et jejuniis assidue vacántem.

R. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, allelúja. **V.** Nihil proficiet inimicūs in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. Manus.

Lectio v

Servátius a Magnéntio, qui, enecáto Constánte Au-gusto, Impérium arripiéret, mittitur cum sancto Maximíno Trevirénsi episcopo ad Constantíum legátus. Alexandriam Ægypti urbem appúlsi, ambo a sancto Athaná-sio, ejúsdem urbis Epíscopo, tamquam Præsules de Ecclésia Cathólica optime mériti, honorifice excépti fuére. Intérfuit Servátius Concilio Ari-minénsi, in quo cum Fæbádio episcopo Agennénsi pro fide cathólica fórtiter stetit. Ariánorum fraude ac dolo decépti, doctrinam spécie cathóli-cam, re vera Ariánam, professi quidem fuérunt: ast fraude dolóque detécti, Ariánismum ácrius profligáruunt,

fidémque cathólicam fórtius propugnáruunt.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi éléc-tum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei, allelúja. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi

Bárbaris Gálliā invadéntibus, Servátius civitati suæ métuens, lácrimis corporis porqué afflictatióibus misericordiam Dómini obsecrábat, ut pópulum suum a perfidórum nequitia tueréatur. Eádem ob causam ad Apostolón limina intercéssores progréditur, ubi respónso cælesti dídicit, cladem ob pópuli delicta consummádam, se tamen illam non visírum. Réversus, suis ad peccató-rem incitatis, paulo post Trajécti ad Mosam e vita sancte cessit, anno trecentésimo octogésimo quarto.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operátus est, et omnis terra doctrina ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccatis omnium populorum, allelúja. **V.** Iste est, qui contépsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Ipse Glória Patri. Ipse.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Vigiláte, de eodem Communi 2 loco.

Feria II Rogationum et in Vigilia Ascensionis IX Lectio de Homilia Ferie, et fit ejus Commemoratio in Laudibus.

De S. Roberto Bellarmino Epis-copo, Confessore et Ecclesiæ Doctore, fit Commemoratio tan-tum in Laudibus.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúja.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúja. **R.** Et osténdit illi regnum Dei, allelúja.

Oratio

Deus, qui ad errórum insí-dias repelléndas et Apo-stolicæ Sedis jura propug-nanda beátum Robértum Pon-tificem tuum atque Doctórem mira eruditóne et virtute de-corásti: ejus méritis et inter-cessióne concéde; ut nos in veritatis amore crescámus et errántium corda ad Ecclésiæ tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum nostrum.

Et non legitur IX Lectio historicæ.

Die 15 Maii

S. ISIDORI AGRICOLÆ

Confessoris

Duplex I classis cum Octava
communi

Omnia de Communi Confessoriis non Pontificis præter ea, quæ hic habentur propria (m. t. v.).

De S. Joanne Baptista de la Salle Confessore fit Commemoratio tantum in Laudibus (Ant. Similábo eum, **V.** Amávit eum e I Vesperis), et non legitur IX Lectio historicæ.

Oratio

Da nobis, quæsumus, misericors Deus, beato Isidoro Agricola Confessore tuo intercedente, supérbe non sápere: sed ejus méritis et exemplis plácita tibi semper humilitate deservire. Per Dóminum nostrum.

In I Nocturno Lectiones Beatus vir, de Communi 1 loco.

In II Nocturno**Lectio iv**

Isidorus Agricola prope Matrítum Hispániae urbem, in qua natus fúerat, mercéde collendis agris conductus, brevi magnárum sibi virtútum eo in exercitio ubérimam ségetem paravit. Admirabilis enim Christi ac Sanctórum imitator, numquam ad opus mane se conferébat, nisi prius Dei regnum studiōse quárereret, ecclesiásque in ipsius ac Deíparae honórem dicátas visitáret. Quare cum illius moram agri dóminus gráviter ferret, atque ex editiore loco quadam die, ut eum libérius incrépáret, Agrícolam opperíretur, binos Angelos cándida veste díuplici boum jugo arántes, mediúmque inter illos Isídorum conspéxit. Quo miráculo vulgáto, magno déinceps honóri tam apud herum, quam apud céteros hómines habéri cœpit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritatēm æternam, allelúja. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. **Et.**

Lectio v

Caritáte in páuperes ádeo flagrávit, ut mercédem, quam labóribus parábat, egéntibus erogáret. Quin éiam cum aliquándo ad commíme cum réliquis confrátribus prándium plúrimos páuperes adduxíset, nihilque áliud, prándio scilicet finito, quam pulménti partem sibi reservátam reperiáset, illam vir Dei, fide singulári fretus, ita distribuit, ut admirabiliiter aucta iis ómnibus aléndis saturandísque sufficeret. Illud éiam inter cétera mirandum, quod per aestivos calóres ad extingúéndam in agro sitim, aquæ potum hero flágítante, cum nullobi scatérat, Isidorus stímulo, quem gerébat, humo percússa, ubérem ex ea, et perénnum ad hæc usque témpora fontem elíscuit.

R. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum, allelúja. **V.** Induit eum Dóminus loricam fidei, et ornávit eum. **Et.**

Lectio vi

Igitur sanctitáte clarus, cum ad ultimam senectútem pervenísset, obdormívit in Dómino, et in cemeterio sancti Andréæ sepultus támidi ibi jácuit, quoad cives de ipsius corpore honéstius in ecclésia collocando divinitus móni, illud in lóculo integrum atque ádeo incorrúptum invenérunt, ut ex eo suavissimus odor, qui hac étiā tempestáte perdúrat, effláret. Sacrum corpus in ecclésiam translátum, et in editiore loco situm, máximis Deus miraculis illustrávit. Quorum beneficéntiam non semel tam ipsa Matrítii cívitas, quem éiam cétera Hispániae loca ope ipsius imploráta persérunt. Quem postrémo post annos fere quadringéntos fama sanctitatis, ac miraculis illústrem, Gregórius décimus quintus in Sanctórum númerum réttulit.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus, allelúja. **V.** Iste est qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad cælestia regna. Quia. Glória Patri. Quia.

In III Nocturno Homilia in Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum Tempore Paschalí 1 loco cum Responsoriis de Communi Confessoris non Pontificis.

Die 15 Maji**S. SOPHIAE
Virginis et Martyris**

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Virginum 1 loco.

De S. Joanne Baptista de la Salle Confessore fit Commemoratio tantum in Laudibus, et non legitur IX Lectio historica.

Oratio

Deus, qui inter cétera potentiæ tuæ miracula étiā in sexu frágili victóriam martyrii contulisti: concéde propitius; ut, qui beátæ Sóphiae Virginis et Martyris tue natalitia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Die 24 Maji**B. MARLÆ VIRGINIS
sub titulo**

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Duplex I classis cum Octava communi

Omnia de Communi Festorum B. Mariae Virginis præter ea, quæ hic habentur propria.

IN I VESPERIS**Hymnus**

Scépe dum Christi póplus cruentis Hostis infénsi premerétur armis, Venit adjútrix pia Virgo cælo Lapsa seréno.

Prisca sic Patrum monuménta narrant,
Templa testántur spóliis opímis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotánnis.

En novi grates líceat Mariæ
Cántici lètis módulis reférre
Pro novis donis, resonánte
plausu

Urbis et Orbis.

Oh dies felix, memoránda
fastis,
Qua Petri Sedes fidei magístrum
Triste post lustrum réducem
béata

Sorte recépit!

Vírgines castæ, puerique
puri,
Géstiens clerus, populúsque
grato

Corde Reginæ celebráre cæli
Múnera certent.

Vírginum Virgo, benedicta
Jesu

Mater, hæc auge bona: fac,
precámur,

Ut gregem Pastor Pius ad sa-
lútis

Pásqua ducat.

Te per etérnos venerémur
annos,

Trinitas, summo celebránda
plausu;

Te fide mentes, resonóque
linguae

Cármine laudent.

Amen.

V. Dignáre me laudáre te,
Virgo sacráta, allelúja. **R.** Da
míhi virtútem contra hostes
tuos, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Ecce, Ma-
ría * erat spes nostra, ad
quam confúgimus in auxili-
um, ut liberáret nos, et venit
in adjutórium nobis, allelúja.

Oratio

O mniáptens et misericors
Deus, qui ad defensió-
nem pôpuli christiáni in beatís-
sima Virgine María perpétu-
um auxilium mirabiliter
constituísti: concéde propítius;
ut tali præsídio muníti
certantes in vita, victóriam
de hoste maligno conseguí-
valeámus in morte. Per Dó-
minum nostrum.

AD MATUTINUM

Invit. Sancta María, Dei
Génitrix Virgo, * Intercéde
pro nobis, allelúja.

Hymnus Sæpe dum Christi,
ut supra 41*.

In I Nocturno Lectiones Ego
sapiéntia, de Communi.

In II Nocturno

Sermo sancti Bernárdi

Abbátis

Ex Serm. de 12 Stellis

Lectio iv

Veheménter quidem nobis,
dilectissimi, vir unus et
múlier una nocuere: sed grá-
tias Deo, per unum nihilomini-
nus virum et mulierem unam
ómnia restaurántur, nec sine
magno fénore gratiárum. Et
quidem sufficere pôterat Chri-
stus: si quidem et nunc omnis
sufficiéntia nostra ex eo est:
sed nobis bonum non erat,

esse hóminem solum. Cón-
gruum magis, ut adésset no-
stræ reparatióni sexus utér-
que. Jam itaque nec ipsa mú-
lier benedicta in muliéribus
vidébitur otiósa: inveniéatur
équidem locus ejus in hac re-
conciliatióne. Opus est enim
mediatóre ad mediatórem
Christum: nec alter nobis úti-
lior quam María. Crudélis
nímium mediátrix Heva, per
quam serpens antiquus pesti-
ferum étiam ipsi víro vírus
infúdit: sed fidélis María, quæ
salútis antídotum et víris et
muliéribus propinávit. Illa
enim minístra seductionis,
hæc propitiatiónis; illa sug-
gessit prævaricatiónen, hæc
ingessit redemptiōnem. Quid
ad Mariam accédere trépidet
humána fragilitas? Nihil au-
stérum in ea, nihil terríble;
tota suávis est, ómnibus óf-
ferens lac et lanam. Revólve
diligéntius evangélica histó-
riæ sériem universam: et si
quid forte increpatórium, si
quid durum, si quod déniue
signum vel levis indignatiónis
occúrrerit in María, de cétero
suspectam hábeas, et accéde-
re vereáris.

R. Sicut cedrus exaltáta
sum in Líbano, et sicut cy-
príssus in monte Sion: quasi
myrra électa, * Dedi suavi-
tatem odoris, allelúja. **Y.** Et
sicut cinnamórum et bál-
samum aromatizans. Dedi.

Lectio v

Q uod si, ut vere sunt, ple-
na magis ómnia pietatis
et grátiæ, plena mansuetú-
dinis et misericordiæ, quæ
ad eam pertainent, inveneris,
age grátiás ei qui talem me-
diátricem benignissima mis-
eriatióne providit, in qua nihil
possit esse suspéctum. Déni-
que ómnibus ómnia facta est,
sapiéntibus et insipiéntibus
copiosissima caritáte debitri-
cem se fecit. Omnibus mis-
ericordiæ sinum áperit, ut de
plenitudine ejus accípiant uni-
versi, captivus redemptiōnem,
æger curatióñem, tristis con-
solatióñem, peccátor véniam,
justus grátiā, Angelus lètia-
tiam. Ipsa prætérita non dis-
cutit mérita, sed ómnibus se-
se exorábilem, ómnibus cle-
mentissimam præbet, ómni-
um déniue quodam miserátur
afféctu. Ipsa est quondam a
Deo promissa múlier serpén-
tis antiqui caput virtútis pede
contritória; cuius plane calcá-
neo in multis versutiis insi-
diáitus est, sed sine causa.
Sola enim contrívit universam
hæréticam pravitátem.
Contriti sunt insidiántes, con-
culcáti supplantátores, con-
futáti derogátore, et beatam
eam dicunt omnes generatió-
nes. Jam si Ecclesiá lunæ in-
telligénda vidéatur vocáculo,
habes mediátricem evidénter
expréssam: Múlier, inquit,
amicta sole, et luna sub pédi-

bus ejus. Amplexámur Mariæ vestígia, et devotissima supplicátiōne bēatis illius pēdibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedixerit nobis: potens est enim.

R. Quæ est ista, quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiae Sion, et bēatam dixerunt, et reginas laudáverunt eam, allelúja. **V.** Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lilia convállium. **Vidérunt.**

Lectio vi

Ex publicis monumentis

Præsentíssimum Deíparæ auxílium ad religiónis hostes profligándos, sæpe pôpulus christiánus mirum in modum expérts est: ex quo factum, ut sanctíssimus Pónitifex Pius quintus post insígnem victoriām, intercédebeat beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárūm tyranno apud Echínadas ínsulas reportátam, in Litaníis Lauretánis eádem Reginam cælorum inter ália præcónia Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románuſ Pónitifex Pius séptimus impiórum consiliis et armis ex apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, præséritim Savónæ per annos

quinque, eóque amplius fuíset détentus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Ecclésiam régere posset, nullo similiis persecutiōnis in priscis annálibus exémplo, inopináto et præter ómnium expectatiōnem cóntigit, ut ingénti plausu, ac véluti univérsi orbis mánibus pontificio sólio restitueretur. Quod et secúndo accidit, dum iterum commóto tûrbine, ab Urbe discédens sacro comitánte cardinálium collégio, Ligúriam conténdit. Verum præsentíssimo Dei beneficio, cessánte procélla, quæ grave minabátur excídium, Romam, plaudéntibus præ novo gáudio pôpulis, réversus est. Antea tamen, quod in votis habúerat, et captivitatē détenus exequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónæ imáginem Deíparæ Vírginis sub titulo Matris Misericordiæ solémni ritu propriisque mánibus decorávit. Quam mirabile rerum vicissítudinem idem Pónitifex Máximus Pius séptimus totius évēntus íntime cónscius, cum intercessiōne sanctíssimæ Dei Genitricis, cuius poténtem opem, et ipse impénde imploráverat, et ab ómnibus Christifidélibus implorári curáverat, accéptam mérito referret, in ejusdem Vírginis Matris honórem sub appellatiōne Auxílii Christianórum, solémne festum indíxit perpétuo celebrándum

die mensis Maji vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversário, approbato étiam Offició proprio, ut tanti beneficii distícta et perénnis extet memória, et gratiárum áctio.

R. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filiae Sion, beatíssimam prædicáverunt, dicéentes: * Unguentum effusum nomen tuum, allelúja. **V.** Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circúmdata varietáte. **Et. Glória Patri. Unguentum.**

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secún-
dum Lucam

Lectio vii Cap. 11, 27-28

In illo tempore: Loquénter Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam mûlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi
Abbátis

In Nativitate B. M. V.

Intuérē, o homo, cónsiliū Dei, agnoscé cónsiliū sapientiæ, cónsiliū pietatis. Cælesti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit: redemptúrus humánum génum, prétium univérsum cónstulit in Mariam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totius boni ple-

nitúdinem pósuit in María: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid grátiae, si quid salútis, ab ea novérimus redundare, quæ ascéndit deliciis áffluens. Totis ergo mediullis cōrdium, totis præcordiòrum afféctibus, et votis ómnibus Mariam hanc venerámur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére voluit per Mariam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

R. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus, Deus noster, allelúja. **V.** Ora pro pôpulo, intércéde pro dévoto fêmeo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque tuum sanctum implórant auxílium. **Quia.**

Lectio viii

In ómnibus síquidem, et per ómnia pròvidens miseris, trepidatiōnem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitatem. Ad Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus, ad fólia fugiébas: Jesum tibi dedit mediátorem. Quid non apud talem Patrem Fílium talis obtineat? Exaudiéatur útique pro reverentiā sua: Pater enim díligit Fílium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divinam, quod, licet factus sit homo, manserit tamen Deus.

Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Mariam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed et pura singularitaté natúræ. Nec dúbius díixerim, exaudiéntur et ipsa pro reveréntia sua. Exaudiét utíque Matrem Fílius, et exaudiét Fílium Pater.

R. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúja. **V.** Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. **Quia.** Glória Patri. **Quia.**

Lectio ix

Filioli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potestne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audire, aut non audíri Fílius potest? Neutrūm plane. Invenísti, ait Angelus, grátiā apud Deum: feliciter. Semper hæc inveniet grátiā, et sola est grátiā, qua egémus; nimírum sola est grátiā, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus, fratres? Quærámus grátiā, et per Mariam quærámus. quia quod querit invenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiā, sed grátiā apud Deum: nam apud hómínes grátiā fallax. Quærant álii méritum, nos invenire grátiā studeámus. Quid enim? Non grátiæ est quod hic su-

mus? Profécto misericórdiae Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

Hymnus

Te Redemptóris Domínique nostri

Dícimus Matrem, speciosa
Virgo,
Christianórum decus, et le-
vámen
Rebus in arctis.

Sáviant portæ licet inferórum,
Hostis antiquus fremat, et
minacés,
Ut Deo sacrum populétur ag-
men,
Súscitet iras.

Nil truces possunt fúriae
nocére
Méntibus castis, prece quas
vocata
Annuens Virgo fovet, et su-
pérho
Róbore firmat.

Tanta si nobis fáveat Pa-
tróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur, fugiúntve
turmæ,
Mille cohórtes.

Tollit ut sancta caput in
Sióne
Turris, arx firmo fabricáta
muro,
Cívitás David, clýpeis et acri
Milité tuta.

Virgo sic fortis Dómini po-
tenti
Déxtera, cæli cumuláta do-
nis,
A piis longe fámulis repéllit
Dáemonis ictus.

Te per ætérrnos venerémur
annos,
Trinitas, summo celebránda
plaus;

Te fide mentes, resonóque
linguae
Cármine laudent.
Amen.

V. Diffusa est grátiā in lá-
biis tuis, allelúja. **R.** Proptér-
ea benedixit te Deus in æ-
térrnum, allelúja.

Ad Bened. Ant. Ad te, o
sancta Dei Génitrix, * clamá-
vimus, et per te venit Dómini
auxilium nobis, allelúja.

Oratio

Omnipotens et misericors
Deus, qui ad defensió-
nem pôpuli christiáni in bea-

tíssima Virgine María perpé-
tuum auxílium mirabiliter
constituísti: concéde propiti-
us; ut tali præsidio muníti
certantes in vita, victóriam
de hoste maligno cónsequi
valeámus in morte. Per Dó-
minum nostrum Jesum Chri-
stum, Fílium tuum: Qui te-
cum vivit et regnat.

IN II VESPERIS

Omnia dicuntur ut in I Vesperis
41*, præter Ant. sequentem.

V. Dignáre me laudáre te,
Virgo sacráta, allelúja. **R.** Da
mihi virtútem contra hostes
tuos, allelúja.

Ad Magnif. Ant. Sancta
María, * succúrre míseris, ju-
va pusillánimes, réfove flébi-
les, ora pro pôpulo, intérveni
pro clero, intercéde pro de-
voto femíneo sexu: séntiant
omnes tuum juvámen, qui-
cunque tuum sanctum impló-
rant auxilium, allelúja.

INDEX SUPPLEMENTI

	pag.
Georgii Mart. 23 Aprilis	36*
Isidori Agricola, Conf. 15 Maji	39*
Mariae B. V., Auxilium Christianorum. 24 Maji	41*
Pancratii Mart. 12 Maji	37*
Servatii Ep. et Conf. 13 Maji	38*
Sophiae Virg. et Mart. 15 Maji	41*

APPROBATIO

Concordat cum originalibus approbatis.

Osnabrug, die 13 Augusti 1951

Nr. 178

† **Wilhelmus Archieppus.**
Eppus. Osnabrug.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 20 Novembris 1951

Joseph Franz
Vic. Gen.